

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

LXXXII. Auctarium Augustae Sequioris

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

extra Alsatiam admisisse speciatim non defugisse auctoritatem Ducis Luxemburgii, quae defensoris et Advocati provincialis, nullo tamen clientelae nexu, aut obsequii vinculo astrictos. Similiter atque Trevirorum Antifites, patrocinio huius Advocati suscepto, pristinum statum servarunt, ac nemini, praeterquam Imperatori, officia Principum, atque obsequendi studium professi sunt, et praestiterunt. Sane *Palatinus* ab ultimis Imperii initiis *Landgraviatu* dignior, et Rhenanus ille ceteris Germaniae *Palatinatibus* nobilior, et auctoritate praestantior, et muneris praerogativa, si Saxonum excipio, maior, nulli unquam alii *Palatinatui*, nedum *Landgraviatui* obnoxius, aut quacunque iuris *dependentis* ratione devinctus. Id quod monumentorum periti sciunt, et usu rerum praediti ultro amplectuntur, nec testimoniis, et exemplis egent, neque adiumenta solum apud Fredericum et Chiffletium quaerunt. Sive autem ex Alsatia, sive ex Alemannia receptum est antiquissimum Brisgaviae castellum, reliquias nunc in eo pristini, in Alsatia quondam Aufriaca, patrimonii spectamus, eo magis deinceps curae futuras, quod Romani prius Brisfacum, quam Argentoratum exaedificarunt, et praesidio legionis, quindecim decimae firmarunt, ex eoque ulterioris Germaniae populos represserunt, atque aditu et incurfione finium prohibuerunt. Luitprandus illud manifesto in Alsatiam collocavit, *histor. lib. IV. cap. 14.* Quem secutus est Sigebertus Gemblucensis, in *Chronico an. 1443.* Nihil autem causae est, cur miremur, urbem, et arcem illam, Rhenique ex illa Germaniae parte claustrum, ad Burgundiae fines relatum, quando memoriae proditum est, Alsatiam quoque, illam maxime, quae patrimonium Austriae complexa est, nunc Sequanis, qui Burgundiam, nunc Mediomatricibus, qui Austrasiam incolunt, contributam, et post varias conversiones tandem, suis separatim finibus constitutam: quod ex scriptoribus Francis liquet, ab iisque mutuati sunt *Fr. Guillimannus, et Iodocus Coccius, ille Habsburgiac. lib. II. c. 5. Iste in Dagoberto cap. III.* Ut vero Austrasia, exceptis duntaxat partibus, cessione alienatis, ditione et Imperio Germaniae continetur, sic Burgundia nihilo secius eam agnoscit, quae nondum derelicta, aut cessa est, speciatim Sequanica, *Montis Bellicardi* complectens Principatum, pace proxima restitutum *Art. XIII.*

## LXXXII. AVCTARIUM AVGVSTAE SEQVIORIS.



Enricus Auceps, natione Saxo, gente Vitikindea, et illustri loco natus, Ottonis Saxonum Ducis, qui delatum suffragio regnum Germaniae recusavit, et Luitgardis filius, Saxones Turingosque ditione sua comprehensos, ad armorum disciplinam instituit, ludos

dos equestres honoris et virtutis excitandae causa celebravit, Germaniam in pristinam dignitatem revexit, Slavos coercuit, Hungaros devicit ac domuit, Lotharingiam recuperavit, et denuo cum Germania coniunxit, sed in Italiam nec movit, nec ius ibi partum habuit, neque imperio Rom. potitus est, cum rebus domesticis, ne id faceret, impediretur. *Vitekindus Corbeiensis annal. Saxon. l. 1. Regionis supplementum, Luitprandus, Otto Frisingensis, Vrbergensis, Sigebertus, Ekkehardus, Albericus Monachus, Benevutus, VVimpbelingus, Cranzius, Brunnerus.* Ab hoc tempore Germania nostra elegantior facta, et oppidis culta est. Vrbes ab eo conditae Misna propter Albim, Merseburgum ad Salam, Quedlinburgum iuxta Bodam. Magdeburgum ex vico Urbem fecit Otto M. et opibus commerciisque auxit, et usus est opportunis ad eam rem fluvii, Rheino, Albi, Visurgi, Viadro: Maritima enim commercia ferius instituta sunt, maxime S. XIII. cum maritimae urbes incrementa caperent, et aperto iam mari, in Septentrionem navigarent, ac Prussiam, Livoniam Russiamque mercatus causa adirent et frequentarent. Quo tempore in Anglia et Belgio nulla adhuc dum commercia florebant. Movit Vrbes calamitosa Germaniae conditio, et bella subinde civilia ac motus, contra quos foedere se opibusque, cum labente Caesarum auctoritate, nulla auxilii spes esset, sese muniabant. Tum vero multa quoque oppida occasione Sacerdotiorum, *Episcopatum et Monasteriorum* ex aedificata sunt, ut Osnabruga, et Huxaria, Karolino quondam aevo coeptae. Magna hic Henrici Aucupis Prudentia cernitur, qui primus omnium in Saxonia et vicinia nostra exstruendis et muniendis urbibus operam dedit, ut Hungaros commodius feliciterque reprimeret, incursionesque eorum prohiberet. Sorabi tunc superiorem Saxoniam, partemque Misniae cum Daleminiois, tenebant, quos armis fregit, Saxonibusque subiecit *V. Vitekindus*, ex quo velut antiquissimo Saxoniae scriptore constat, eius auspicio ductuque Germaniam Hungaris vestigalem, in libertatem splendoremque esse vindicatam, et Lotharingiam, quam Carolus simplex, Francogalliae Rex, mortuo Ludovico IV. anno 912. invalit et occupavit, fortiter animoseque recepitam.

§. 2. OTTO M. Henrici et Mechtildis filius, Princeps religiosus et fortis, a patre Rex designatus, atque hoc mortuo, a Francis Saxonibusque an. 936. electus inauguratusque est in urbe Aquisgranensi, tanquam regni Lothariensis sede et Regni Germanici finibus circumscripta. Solennia inaugurationis Antistes Vbiorum, qui Colonienfis dicitur, rite perfecit. Sublato bello civili, proceribusque ad officium redactis, ius Lotharingicum, a patre armis et pacatione restitutum confirmavit, externos hostes repressit, Hungarosque ad Lyicum delevit, Berengario Longobardicae gentis Imperatore, ob repetitam perfidiam submoto et capto, ius potestatemque summam in urbem Romam, et ipsam adeo augustam dignitatem consecutus est, cuius rei gratia S. P. Q. R.

Ttt ttt

inter-

interprete Urbis antistite cum invitavit, et per Dei atque imperii honorem, perque omnium salutem obsecravit, veniret quam primum, et oppressam tyrannide urbem liberaret. Qui imposito Saxoniae Billingo, tempestive affuit, ac toto animo in componendis Italiae res incubuit, et Berengarium, sumpta perfidiae et crudelitatis poena, exilio mulcavit, nec filio eius Adalberto, paterni criminis socio, ignovit, primusque inter omnes augustum decus in familiam suam intulit, atque hoc rerum cursu, ad maximum in terrarum orbe fastigium pervenit, inprimisque nationem Germanicam, tentae accessione dignitatis, mirifice illustravit. Id quod evenit anno, quem supputamus, Dionysiano 962. quo summum Romae, et sacri patrimonii statusque ecclesiastici, et exarchatus dominium, cum omnibus tractibus oppidisque coniunctis, Otto M. consecutus, eoque iure usus est, in constituendis imperii negotiis et conferendis dignitatibus, sacris aequae ac civilibus, sive antistites Urbis, sive ad alios praesules ac proceres pertinerent. *Vitechinus l. II. Luitprandus l. VI. Conf. Ditmarus, Otto Frisingensis, Viterbiensis, Sigebertus, Gemblacensis Albertus Stadensis.*

§. 3. OTTO II. Ottonis M. et Adelheidae filius, bellicosus quidem, et in expeditionibus Boica, Boiémica et Gallica propter Lotharingiam suscepta, felix et victor, iuris Germaniae vindex, sed in Italia, ob gentis invidiam ac sigillatim bello in Apulia Calabriaque, contra Graecos Constantinopolitanos gesto infelix, Beneventanis Romanisque ductoribus ex acie dilapsis: unde turbati ordines laxati que sunt, et exercitus dissipatus ac in fugam actus. Otto, ut natandi peritus, natando evasit, et aegre servatus, ad suos rediit, de Romanis Italisque supplicium sumpsit, et in puniendo nimius, in iustitia tuenda constans, ac certe rigidus fuit, unde odium et metus, infirma potentiae vincula, si vires desunt. Ipse in ulciscendo acrior, et pugnando incautior, Graecisque potentia navali impar, in sinu Rheginensi telo ictus decessit, et Romae in templo D. Petri sepultus est, Imperator vita et fortuna meliori dignus. *vid. Frodoardus, Luitprandus, Vitechinus, Ditmarus, Lamb. Aschafnaburgensis, Gottfr. Viterbiensis, Conrad. Vrshergensis, Sigebertus Gemblacensis, Coimperatorem vocat, non, ut mendose legunt, comparatorem: Illud enim congruit cum veteri confirmationis instrumento, quod evulgavit Gvillimannus. Tum Cranzius, Brunnerus Lebmannus.*

§. 4. OTTO III. Ottonis II. et Theophaniae filius, animo egregius, constans ac severus, sed vitio aetatis praeceps, ac amore viduae captus, inermisque Romam profectus, nec sine praesentissimo vitae periculo Roma egressus, collecto deinceps milite reversus, ad factionem opprimendam mentem consiliumque intendit, servaturus maiorem gloriam, et cum aetate maiora virtutis experimenta daturus, si vixisset longius, et a fraudibus viduae venenoque sibi cavisset, quae contemptus demendi causa et ultione flagrans, chirothecas venenatas

natas ei submitit per speciem amicitiae, sed revera ut animum ira et odio incitatum exleret, praesertim cum de mariti supplicio cogitaret, noviqve mariti spe frustratam se videret. Hic finis fuit propaginis Ottonianae, in qua Romulus et Parentes Germanicae dignitatis, rei qve publicae amplificatores recordamur, sed Principes tunc pari et aeqvo iure, nondum constituto Septemvirum collegio, Imperatores eligebant.

§. 5. HENRICVS II. Claudus et sanctus, Henrici Hezelonis et Berchae filius, Ottonumqve augustorum agnatus, et Principum studio suffragioqve electus. Propensior in sacrum ordinem, nova Sacerdotia, et Babenbergensis sedem Antistitis instituit, sed intempestivo castitatis voto, ad orbitatem se familiamqve rededit, sive naturae vitio se abstinuit, at iura imperii trans Alpes et Apennium fortiter defendit, Ardoinum perduellem duobus praeliis victum fugientemqve oppressit, Graecos et Saracenos ope Normannorum, qui classe appulsa in Apuliam Siciliamqve venerant, profligavit, Boemiae Poloniae qve ducem armis ad obsequium flexit, Stephanum Hungariae Regem Sororis Giselaee connubio et affinitate, atque inductione hac mitigavit, ritusqve Christiani Disciplinam persvasit. Moriturus commendatione Germanos proceres Conrado Saliqvo, Henrici Francorum ducis filio, conciliavit. Haec est nova Saliqvorum familia, quae post Saxones rerum potiri coepit.

§. 6. CONRADVS II. Saliqvus, Henrici Francorum ducis, et Adelaee filius, fortis idem ac prudens. Venedos Vngarosqve ad pacem petendam coegit, Germaniam Regni Burgundici accessione auxit, et praeter Lotharingiam, atqve insignes Austrasiae regiones, bene fortiterqve servatas, Germaniae fines ultra Iuram protulit, postremo Burgundionum Rege mortuo, cui nomen erat Rudolpho, eius nominis III. Abhuius excessu, Burgundia triplici titulo cum regno Germaniae coniuncta, et testamento acquisita, armis defensa, optimatumqve Burgundiae assensu et approbatione corroborata, auctoribus *VVippo* ne in *Vita Conradi Saliqvi*, *Ottone Frisingensi*, *Hermanno Contraeoto*, *Hepidanno*. Fueratqve iam ante Regnum hoc donatione Henrico II. attributum, sed imperante Conrado II. cum stirps deficeret, Rudolphus tandem promissum praesucit, et testamento rite facto, regnum istud quod Heduos et Seqvanos continet, ei addixit ultro et assignavit. Cuius regni utilitas, situsqve opportunitas versus Italiam Galliamqve, rebus Germanicis admodum profuit, quod Araris Rhodanusqve interfluunt, et optimaee amplaeqve regiones ornant. In Italia summam potestatem firmavit, Pontificem et Proceres in fide et officio retinuit, Polonos Slavosqve coercuit, et debellavit eorum ducem Misiconem, atqve exilio multavit, postea in gratiam recepto, tertiam regionis Sarmaticae partem reddidit, Poloniamqve Germaniae obnoxiam, certe vectigalem fecit. vid. *VVippo* po, *Ditmarus*, *expeditionis Polonicae socius*, qui vitam eius sigillatim scripsit, *Otto Frising.*

*l. VI. c. 28. Hermannus Contractus, Albertus Stadenfis, Chronica varia, Herbipolitanum et Hildesheimense.*

§. 7. HENRICVS III. Conradi II. et Giselaë filius, Imperator fortitudine et prudentia cum Ottonibus comparandus, qui Poloniam Imperio Teutonum vindicavit armis et confirmavit, Hungariam in Regni Teutonici provinciam redegit, iura in Italiam manu et consilio defendit, dissidia pontificum sustulit, et dissidentes loco movit, auctoritatem stabilivit, Henricum Francogalliae Regem, de Germaniae conditione iniquius proterviusque loquentem, ad conflictum singularē provocavit, qui fuga sibi consuluit, et sine gloria ad suos revertit. Nondum quadraginta annos natus obiit, in flore aetatis, et conatu rerum maximarum, hinc caput omnium malorum, quae Germaniae faciem formamque deinceps, eo mortuo mutarunt, et bellis factionibusque in Germania et Italia materiam praebuerunt. Quae perniciēs et damna contracta ex Ottonum imprudentia, atque erga Antistites indulgentia, neglecta occasione aditus et Castella Latii, sive Campaniae Romanae firmandi milite et praesidio, ommissa cura custodiendi Vrbes maritimas in *Exarchatu* et Piceno, maxime intempestiva liberalitate, donationibus et cessionibus tractuum et Urbium, quae Patrimonium Imperatoris constituunt: praeterea non continuatarum trans Alpes expeditionum defectus, bellorumque Civilium coortae tempestates, inprimis Henrici IV. tempore, imminuta paulatim Imperatorum auctoritate, Germaniam affixerunt.

§. 8. HENRICVS Imp. Rom. Henrici III. et Agnetis filius, in turbulenta patriae tempora incidit, et Svevis Saxonibusque, constato Antistitum odio, invisus, mira fortitudine labentis potentiae molem sustinuit, et aemulis ac hostibus se obiecit, atque imperii dignitatem tutatus est, quam Proceres factionibus distracti A. C. M. LXXVII. in conventu apud Forcheimium habito, et Rudolpho in eius locum suffecto, abrogare voluerunt. Henricus autem quia erat Constantia, interdicti contra se promulgati formulam contempsit, nec dignitate cedere voluit, quam armis defendit, victoque Rudolpho, et Hermanno cedere coacto, ac postea mortuo, nec iure suo excidisse, se palam testatus est, neque Proceres Sacramento solutos, nedum obsequii religione liberatos esse, obnunciavit, et coniuratis constanter resistit, neque animum deferendi ac deponendi imperii habuit: Gregorium Coniurationis auctorem Vrbe exegit, et Romae se suo et Caesareo iure inaugurandum curavit V. *Lambertus Aschafnaburgensis, et Hermanni Contracti Continuator, Bertboldus Niger ad annum 1076. et 1077.* Non melior exitus fuit Ecberti, qui aliquanto post occisus, et cum res ne sic quidem succederet, filium contra Patrem ambitione sua concitavit. Henricus contra firmus et fortis aut vicit, aut aequa clade recessit, argumento fortunae memorabilis, et constantiae singularis, quam perduelles expugnare non poterant,

terant, et ipsi se ac vires suas atterebant, famam vero et Sanctitatis opinionem insigniter laedebant. Ita divisum factionibus imperium, externo hosti, si quis extitisset, non resistere potuisset, iugumque facile subiisset. Nam veneratio augustae dignitatis exolevit sensim, et maiestas reipublicae ferme sublata est, cum id plerique agerent, ut suam et separatam prope rempublicam, sacram constituerent, et contrariis studiis consiliisque omnia perturbarent. Accesit ad hoc malum expeditio transmarina, quae reliquum Germaniae robur confecit, nec modo inutilis, sed etiam iniusta, aliquandiu tamen felix, sed aemulatione Gallorum et Anglorum, exitu misera et infauista fuit, quam Petrus Eremita Hispanus, idemque Superstitiosus homo, promulgavit passim et svasit, ad quam magno numero Germani et Belgae conflexerunt, etiam Galli, Angli, *Helmoldus Chron. lib. I. c. 31. Gvil. Tyrius, et scriptores belli sacri simul editi, et aliquot voluminibus comprehensi.* Mox aliud vulnus respublica iam satis affecta accepit, quando Mathildis amplissimum Italiae ducatum abalienare instituit, quod per leges facere non potuit, praesertim cum Imperator voce publica et regia reclamaret, illud etiam graviter ferret, quod Pontifex regnum Hungariae ab Henrico III. subactum, Germaniaeque coniunctum, per religionis Christianae causam, sub ditionem sacram, subiungere anniteretur. *Liquet hoc ex Gregorii Epistola, ad Salomonem Hungariae Regem perscripta.*

§. 9. HENRICVS V. Henrici IV. et Berthae filius, Princeps bonus et indulgens, sed vitio temporum, et malis moribus eo prolapsus, ut patrem oppugnaret armis, imperiumque turbato ordine affectaret, ac per iniuriam eripere vellet, quod exspectare cum maiori Pietatis laude debuisset. Ambitio haec fortunam, avaritia familiam evertit, cum resistens patri, effoetamque Mathildem pecuniae studio ducens, sine sobole decederet, et praeter orbitatem, iniurias Antistitum, ac ingratos multorum animos experiretur, Saxones etiam rebus novis studerent et Hungari insurgerent, viciniqve inclinatum Caesaris auctoritatem aspernarentur. Iure Sacrorum, et inaugurationum ecclesiasticarum cessit, contra veterem, imperii morem, et contra ius auctoritate legum usuque confirmatum. *G. Vespersens. Chron. p. 204.* Hereditas Henrici omnis, et regiones ei subiectae, ad Duces Sveviae Höhenstauffios, tanquam agnatos simul cum nova odii et invidiae mole pervenerunt. Aemulatio statim, electo Lothario, exorta est, et regnantibus Conrado III. ac Friderico Aenobarbo, vires longe maiores cepit. Henrici tumultus est apud Nemetes, in summo Urbistemplo, in quo ante eum conditi sunt Pater, avus et Proavus augusti Imperatoris V. *Chronica Gottfridi, Vespersensis, Alberti Stadersis, Rolevincii et Christophori Lehmanni Chronic. Spirensis. Regnum Arelatense, quod Proavus Henrici Conradus Imperio Germanico adiunxerat, non detraxit, neque abalienavit, in quo fides et actorum auctoritas desinuit Joannem Bodinum.* Neque Mathildis donatio, quae in

*Henrici tempora incidit, ab Henrico approbata, neque iure facta, neque illum iuri imperatorio detrimentum affert.*

§. 10. **LOTHARIUS II.** Imp. Saxo Supplinburgius, Gebhardi Comitum, et Hedvigis filius, Conrado Sveviae Duci aemulo, imperiumque prensanti praelatus, ac sopitis postea dissidiis, cum eo in gratiam redactus, auxilio Saxonum, et necessitudine Gvelforum se firmavit, Antistitumque studio, et imprimis Moguntini suffragio evectus, bis movit in Italiam, sed occasionem instaurandi iuris *Caesarei* amisit, atque Innocentium II. sede pulsum, auctoritate et armis restituit, Rogerium ex Apulia et Calabria eiecit, Italiam Longobardicam in Concordiam reduxit, et obsequentem sibi reddidit, ac mala illorum temporum et motus quam potuit diligentissime sedavit. De multis etiam bene meritis, Conradum Vetinensem, ab antiquissimis Saxoniae Regulis prognatum, ex Comite Principem fecit, ac Misniae et Lusatiae *Marchionem*, volentibus Provinciae Ordinibus, creavit atque in beneficiariam eius, possessionem rite induxit. Ludovicum cognomine barbatum, cum dignitate principis et *Landgravi* Thuringiae instituit, Hesiāque una ditione coniunxit, et magis locupletavit. Praeter ceteros sibi devinxit Henricum Boiorum Ducem, Henrici nigri et *Vulfidis* Billinganae, superbi cognomine appellatum, quem, collocata ei in matrimonium Gertrude filia, ad fastigium potentiae extulit, et beneficiario Saxoniae Ducatu impertitus est, atque tuendum sibi et ornandum esse hunc socerum, magnopere existimavit. Romanum ius, ut vulgo perhibent, multis intermissum seculis, et diu abditum quasi sepultumque, in tribunalia reduxit, et opera studioque *Inerii* revocavit. At nullis idoneis auctoribus probatur, quamvis novi quidam scriptores nostro memoria fabulam refinxerint, ut ex *Nicol. Vernulaeo, Gutherleto, Vlr. Hubero, et aliis constat. Eo legendi sunt in Chronicis Otto Frisingensis, Conradus Urspergensis, Gottfridus Viberbicensis, Sigebertus, Dodechinius in app. Mariani Scoti, Helmoldus, Siffrius, Abbas Stadensis, Robertus de Monte, Cbr. Lauterbergensi, Albericus Monachus, Rolevincius, Tribemius, Brunnerus in Cbr. MST, de Marchionibus Misniae, annales Isenacenses et Vigandus Gerstenbergius in Cbr. Hesso Francobergensi.*

§. 11. **CONRADUS III.** natione Svevus et Friderici Sveviae Ducis, atque Agnetis saliquae filius, prudens et pacando imperio intentus, Henricum superbum, Lotharii II. generum, viribusque confisum, consilio et proscriptione fugit, et imperii insignia, quae a socero acceperat, reddere coegit, eoque mortuo Gvelfus, Henrici frater, pro patruelis iure armis experiri atque, dedita Vinsberga, Victoris arbitrio se permisit, qui bello conditionibus finito, Gvelfum sibi adiunxit, et expeditionis sacrae socium habuit, sed maiori animo, quam fortuna illud bellum gessit, vitio temporum, et fraude Graecorum deceptus. Vrbes in patrimonium Hohenstauffiae gentis conflatas magnopere ornavit, et ope  
sua

fua adiuvit. Ulmam superiori Lotharii bello vastatam instauravit, ac beneficiis affecit, nec male de Norimberga meruit, atque his rebus patriae decus et honorem conciliavit, Rotverlae tribunal instituit, et iuris dicendi auctoritatem concessit. At Italiam quin adiret, turbis patriae et transmarino itinere, quod Bernardus svaferat, impeditus est, nihil tamen contra dignitatem suam admisit, nec iura illius regni imminuit, neque officium summi Italiae Principis violavit, quamvis pacem eius contraturbasset Rogerius, consilioque seditionis, foedere cum Gvelfis inuito, fovisset. Hinc tandem fatalia ad perendam patriam Gvelforum et Gibellinorum nomina, urgentibus rempublicam fatis, exorta sunt, quorum illi causam Pontificis egerunt, hi partes tuendi Imperatoris susceperunt. *Otto Frisingensis Chron. lib. VII. c. 22. 23. et paulo ante commemorati auctores, ac belli sacri scriptores, uno volumine collecti: tum ex Gvidone Albericus, Felix Fabri. Ioannes Aventinus, et Chronicon VVeingartense, Chronica MST. Halense Svecv. et Noricum. Vulgo Franconiae Ducem fuisse tradunt, ut Vernulaeus, sed omnino Svecus indigena, et donatione ac necessitudinis iure Dux Franconiae Orientalis. Babenbergae sepultus est, contra quam Io. Nauclerus putat, in Monasterio Laureacensi locum sepulturae datum, id quod refellitur testimonio Frisingensis. Qui in perquirendis veterum Augustorum Tabulis elaborant, facile eas ex diversa scriptura aestimant, et Conradum huius nominis II. et III. vel solo titulo distinguunt, secus atque recentiores, et styli diplomatum imperiti solent.*

§. 12. FRIDERICVS cognomine Aenobarbus, Friderici Sveviae ducis, qui Cocles appellatur, et Iudithae Gvelficae filius, patruo maior, et iuris in Italia vindex, atque imperatoriae auctoritatis instaurator. Septies in Italiam duxit, Mediolanum solo aeqvavit, et Italiae urbes in officio continuit, summamque rerum, vindicatis Romae iuribus, constanter tutatus est, neque ad pedes Romani Antifititis se abiecit Princeps animosus et fortis, iniuriae certe non patiens, et praesenti germanorum exercitu, ducibusque egregiis et belli peritis, nihil sibi et augustae dignitati contumeliosum passurus, qui ne picturas quidem cum ignominia nominis Augusti coniunctas ferre posset, et constituto perduellionis iudicio, Clientum Principumque perfidiam in patriae Comitibus ulcisceretur. Ambitionem Manuelis Comneni, Imperatoris Graeci Romani derisit, quod titulum, iure veteris Romae debitum, detrahere sibi voluisset. Henricum Leonem, deserto principis beneficiarii officio, in frequentissimis imperii comitiis, ducatu Boiariae et Sarae comitem, alterum in Bernardum Alcanium, Alberti Vrsi Marchionis filium contulit, dato, dato huic concessoque rutae seruo, quod deinceps pro gentilitio ducum Saxoniae insigni fuit. Austrasiae et Burgundiae regna ab eo servata sunt, addito etiam confirmatoque dotis titulo Burgundici Comitatus pleno dominio, cum Beatricem duceret, et novam illam ac luculentam hereditatem adiret.

EX

Ex ducatu Boemiae regnum fecit, quod in regnum Germaniae atque Imperatorum potestate futurum esset. Poloniam fidelitatis vinculo Germaniae astrinxit, Vngariam, ob certas gravesque causas, omitta expeditione, intactam reliquit, quam Nepos eius Fridericus II. infestavit denuo et vindicavit. Ducatum Austriae instituit, et nexu, quo antea Boiis tenebatur, solvit. Duces Pomeraniae creatos, cum ditione germanica coniunxit, Vrbes Ratisbonam et Lubecam a Principum iurisdictione exemptas ad societatem traduxit, multisque immunitatibus ornavit. Alios auctoritate movit, alios armis flexit, nec patria tantum ab eo servata, sed etiam aucta est, hinc magna eius existimatio apud vicinos reges, quorum aliqui ab eo regnorum insignia acceperunt. In Asia, alienissimo rei Christianae tempore decessit, terror hostium, et Saracenorum victor. *Otto Erisingensis, locupletissimus actorum testis, Friderici Imperatoris Patrius, Conradi Augusti frater uterinus, et Saliquorum propinquus, ac Henrici illorum sororius, Otto Saublasianus, Radevicus, Annales Steronis, qui ab hoc initium capiunt, Guntherus in Ligurino, Tigenonis descriptio expeditionis Asiaticae, Helmoldus, Arnoldus, Dodechinus, Robertus de Monte, Vrspergensis, Abbas Stadenfis, Io. Nussensis, Gobelinus, Chron. Montis Sereni, et Hirsaugiense, Nauclerus, Cranzius, Aventinus.*

§. 13. HENRICVS asper dictus VI. Friderici Imp. et Beatricis filius ducta uxore Constantia, Rogerii filia et utriusque Siciliae herede, avitis opibus cumulum attulit, et matrimonio tam lauto non magis potentiam, quam invidiam sibi et Hohenstauffiae genti confluxit, qui tanta hereditate auctus, sacrae sedis propter vicinitatem gravis, et Principibus etiam plerisque erat suspectus, quasi hereditariam in imperio successionem destinaret. *Hoc testatum reliquit Ioannes Monachus in fragmento quod superest, magn. Chron. Belg. p. 205.* At consilium illud fuit irritum, neque ulla constitutio promulgata, nedum perfecta est, quae eam in sententiam commemoratur. Habuit enim, quod in Apulia, Calabria et Sicilia ageret, maxime ob Tancredum, quo sublato, non tenuit ulciscendi modum, neque in victos et captos, qui rebus novis studuerant, clementia usus est. Itaque alienati ab eo plurimi, et nimiae severitatis odio metuque ad infidias conversi: coniux ipsa asperitatis pertaesa, exitii causam ei maturavit, ut famam tunc vulgatam fuisse, Stero tradit. Maiores alioquin Augusti conatus mors anteverit, quo factum est, ut barbari percommoda ad colligendas in Oriente vires, occasione uterentur, confectis paulatim exercitus Christiani viribus, ad quas reficiendas, scriptis in Germania supplementis, annitebatur. Sodalitas equestris Militum Teutonicorum ei non auspacia, sed incrementa certe sua fert accepta. *V. Henricus Stero, Altabensis Monachus, Gottfridus Viterbiensis, qui vivum florentemque vidit, Arnoldus Lubecensis, ex Guidone Albericus, scriptores belli sacri, Conr. Vrspergensis, Ab. Stadenfis, Ioannes Nussensis,*

*senfis, Gobelinus Persona, Rolevincius, Levoldus a Nordhof, Hugvaldus Mutius, Tritheimius, Cranzius: Vernulaeus et plerique vehementi ingenio, cum insectantur audacius, et sacrilegii postulant, prout studio, aut odio ducti, vera Caesares iuris capita vel non recte aestimant, vel non accurate assequuntur.*

§. 14. PHILIPPVS Sveviae Dux, Henrici VI. Germanus frater, et Friderici adhuc quadrimi tutor, potioribus Principum suffragiis Imperator designatus, factionem contra se coeptam, vel auctoritate nominis vel armis compressit. Nam Bertholdus Zeringius ei sponte cessit, Otto Gvelfus bis victus, et bello ad officium redactus, pactione tandem placatus, sed Innocentio III. qui Ottonem eligi maluit, invisus, neque tamen ab eo sibi conciliando alienus, in retinenda imperii dignitate perseveravit, neutiquam iuris Caesarei prodigus, et in administrando sedulus perinde, ac more avito constans. Decimo Imperii anno Babenbergae ab Ottone Vitelsbachio, velut inanibus promissis literisque in speciem scriptis deluso, quippe quem affinitate sua dignari noluit, interfectus est: Hinc lata proscriptionis sententia, Otto vagus diu pasfim et profugus, ad ultimum deprehensus, et ab Henrico Palatino Papenhemiae gentis, occisus, sibi et familiae asperfit labem. *V. Gottfridus, Stero, Arnoldus, Vrspergensis, St adensis, Albericus, qui causam odii Pontificis a fratre eius, et qui praecesserant, arcessit: Ex Alberico Auctor magni Chronici Belgici, Matth. Pappenhemius in Chron. Australi, Tritheimius, Cranzius, novissime Ioannes Adlzreiter in Annal. Boiiae gentis, sed a Vernulaeo in epitoma Hist. praeter meritum est omissus.*

§. 15. OTTO IV. Henrici Leonis et Mechtildis filius, sublato per scelus Philippo, suscepit imperium, nec modo Saxones et Thuringos, verum etiam Francos, Svevos et Boios obsequentes habuit: Deinde offensus, cum iura imperii repereret, Urbis Antistite, censura notatus, atque a Boiis, Rhenanis, et ipsis etiam Thuringis destitutus, et infelici pugna cum Gallis, sociisque commissa profligatus, ac de imperii possessione depulsus est, cum Principes studia animosque in Fridericum inclinant, eumque electum et inauguratum pro legitimo capite haberent, quoad Innocentius IV. ab Imperatore censuram abstinuit: Sed postquam is diem Augusto dixit, et recusantem, venire ad concilium, Imperio et communione sacrorum privare ausus est, Imperator eum praeter officium fecisse ratus, contracto exercitu, ad coercendas se comparavit Italiae Urbes, sed deferentibus eum Principibus, inceptum non perfecit, et febre correptus, aut veneno in Apulia sublatus est, ut pro certo alii affirmant. Quo tempore seditiosi Proceres omnia miscebant, alia in Italia Henricum filium contra Patrem, alii in Germania voluntate suffragiisque cum hostibus augustae domus coniuncti, Henricum Rasponem, Thuringorum Principem contra Imperatorem excitabant. *Multi ex ordine sacro, et merito hos moves notarunt: inter alios Albericus Rosiatus tradit, contra ius et libertatem imperii exauguratum fuisse Fridericum II.*

Vuu uuu

Vixit

*Vixit in seculo quarto decimo, et iuris doctrina floruit, ob eamque causam a Tribemio commemoratus est in lib. de script. eccl. Indicta enim causa, et non servato iuris ordine, formula execrationis promulgata est. Petrus de Vincis lib. 1. ep. 3. Titulum Regis Hierosolymitani sumpsit, eumque ad Regem Siciliae titulum adiecit, connubio Iolantae, et imagines atque ornamenta adeo gentilitia novo exemplo auxit. Quae necessitudo splendorem ei magis, quam robur attulit, neque meliorem in Oriente fortunam promisit, quamquam ibi pugnauerat fortiter, et exercitu barbaris obiecto, suis Germanorum viribus, Christianos in spem successus superioris erexerat, sed factis postea cum hoste induciis, in patriam rediit, et corrigendis imperii malis, ac motibus sedandis operam dedit, praesertim illo tempore, quo ad superiores miseras novae calamitates et Scythica in primis eruptio accesserunt. Igitur circumspicte agendum ratus, flexo ad tranquilliora consilia Pontifice et adductis in sententiam suam principibus, Conradum ex Iolanta filium, successorem designandum curavit, et confecto feliciter negotio, novis deinde adversae fortunae telis petitus, virtute et constantia se communit, nec minus pro suo, quam imperii iure propugnavit, Academias Neapoli et Vindobonae instituit, nundinas Francofurtenses auctoritate sua et tabulis firmavit. Petrus de Vincis omnium eius negotiorum, quibus tractandis, affuit, peritus, ac ingenuus defensor, Henricus Stero, Vrspergensis, Stadensis, Anonymus de rebus Friderici Imperatoris, Conradi et Manfredi Regum. Albericus recenset, quae Friderico obiecta sunt, sed apologiam reticet, quae se defendit, et multo post hac in re causaque iudicii aequitatem probat Nicol. Cusanus, qui ut cordatus erat ac prudens, sic Friderico non eripuit laudem potentissimi et sapientissimi Principis, neque sibi temperavit, quin Reip. Christianae utilissimum affirmaret. Diu ante Matth. Parisiensis scripsit, huius famam Imperatoris et dignitatem labefactari ac laedi ab invidis, inimicis et aemulis suis. Hist. Angl. in Henrico III.*

§. 16. CONRADVS IV. Friderici II. et Iolantae filius, vivo Patre Rex electus et confirmatus, de Apulia Siciliaque in officio retinenda sollicitus, neque dignitatis imperii oblitus, armorum felicitate res suas restituit, Henricum Rasponem Thuringiae et Hesiae Principem devicit, Neapolin muris nudavit et coercuit, Henricum crimine seditionis implicatum submovit: tandem fatigatus turbis, anno huius seculi quinquagesimo quarto, obiit, ex eoque tempore fatale Germaniae interregnum coepit. Filius ab eo in spem Apuliae et Siciliae relictus, et vulgo Conradinus ab exteris appellatus, sed ad vitandas fraudes et cavenda pericula minus idoneus, ac praelio ad lacum Fucinum commisso, victus et dilapsus, verum annuli indicio cognitus postea et captus, ac insu Caroli Andegavensis, quem Urbis Antistes incitaverat, securi percussus est, qui paulo ante, quam supplicio periret, heredem instituit Petrum Aragoniae Regem. Ita vero defecit augusta Hohenstaufforum familia, et magnus opulentusque veteris Sve-

Sveviae ducatus, in multas partes distractus est, quibus rebus vicini Comites Principesque creverunt, et cadentis antiquae stirpis possessionibus aucti sunt: Oppida quoque eius regionis, et Franciae complura, ad dignitatem Imperii civium evecta, pristinam conditionem mutarunt. Haud secus familiae equestres, utroque in ducatu, peramplo tunc et coniuncto, sese extulerunt, et insituendis augendisque in Imperio honoribus, laborem sumptumque non inutilem, ne abnuentibus quidem, difficilimo tempore Augustis, adhibuerunt. *Conradinus in plerisque tabulis dicitur Conradus II. nimirum in serie Regum Siciliae, in qua, caeso Manfredi, reponendus est, etiamsi Carolus Andinus illi successorem praeripuit, et ideo a Scipione Mazella in regni Neapolitani descriptione omissus est, quod iuri eius et titulo iuste sumpto fraudi esse non potest. Animo in eum minus aequo fuit scripsitque Antonius Florentinus III. part. hist. c. 20. E contrario Henricus Eremita tradit, Conradinum humano iure sperasse, se suis parentibus successurum, et, si humanae rationis iudicia, et causarum merita, et potentia aestimentur, praevaluisse, in epistola ad Robertum Regem, apud Nicolaum Specialem lib. VIII. c. 9. Anonymus de rebus Friderici II. indicat, ea de causa sigillum sub Regis Siciliae titulo sculpendum curavisse, qui iure sanguinis regnum illud, citra et ultra fretum, sibi vindicabat. Haec lucem afferunt scriptoribus aliis, speciatim Matthaeo Parisiensi, et Conradino, qui prae Manfredi notho, eodemque patruo, succedere debuit, inter Reges utriusque Siciliae merito locum relinquunt. Quorum auctoritatem secutus est Thomas Fazellus rer. Sicul. de poster. l. IIX. c. 3. Priusquam indigno mortis genere affectus est, signo chirothecae, quam proiecit, successorem in regno Siciliae declaravit Petrum Aragoniae, sive ut alii scribunt, Fridericum amicae suae filium, Castellae Regem, apud Pandulphum Colleutium, hist. Neapol. lib. IV. Mater Conradini fuit Elisabetha, ab Ottone Boioariae duce prognata, infelici filio superstes: avia eius Iolanta, ex qua Fridericus II. Conradum IV. suscepit, non ex Constantia, ut narrat Fazellus, loco iam adducto. Id quod ex Steronis annalibus cognoscere potuit, ad an. 1225. vere meritoque ab hoc discessionem fecit Onuphrius Panvinius, in Serie Roman. Princip. l. III.*

§. 17. HENRICVS, cognomine Raspo, Hermanni Comitis provincialis Thuringiae et Sophiae Ducis Boioariae filius, Statu patriae turbato, annitente Innocentio IV. contra Fridericum II. Imperatorem legitimum, designatus, in eiusque adhuc viventis locum subrogatus, ab illius excessu quoque, nullo iuris praesidio se tueri potuit, quod vivo patre, Conradus suffragius delectus esset, qui Patri succederet, et eo mortuo, augusta dignitate fungeretur. Neque is adduci potuit, ut Henrico cederet, et arma poneret, ac iure studiis et sententiis eligentium parto se abdicaret. Mox eodem anno, ancipiti eventus expectatione, Henricus obiit, quo Rex creatus est, cui superstes fuit Conradus, aetate aptus, nec impar viribus, et animo retinendi Imperii firmus. *Matthaeus Parisiensis an. 1246. Stero Canisianus et Ereberianus an. eodem. Abbas Stadenfis sub haec tempora, quibus Rex electus est Henricus Raspo, commemoravit summa Imperii ministe-*

ria, quorum occasione Septemviratus instituti, acquisiti et paulatim confirmati; ac privilegiorum deinde Caesareorum tabulis, et lege publica corroborati sunt, praesertim cum reliqui Principes, hoc praerogativa indicio, septem illis, ius proconsultandi, velut praecipuum habentibus, ultro iam concederent, bellorumque civilium, et malorum, quae proficiscerentur a contrariis Principum studiis, et discordibus eligentium suffragiis, pertaesi, non venirent eligendi causa, nec iure suo uterentur, neque utentibus in tempore et loco, ubi res ad eos pertinebat, contradicerent, aut quovis saltem idoneo, et satis evidenti modo signove repugnarent. Martinus Polonus, Alberto abbati proximus, anticipavit hoc tempus, et septem summa Imperii ministeria ad aetatem Ottonis III. retulit, ac Principes, hoc praecipui iure praeditos, Officiales Imperii nominavit, sed ut per eos Imperator eligeretur, multo serius institutum est, nec prius, quam hoc seculo, Principes certo et definito numero elegerunt, Officiales vocat, non Electores, quo nomine eos nullus tertii decimi seculi scriptor, nedum Albertus appellavit. Contra quam vulgo putant, atque inter hos Aub. Miraeus, in Chron. Belg. p. 407. de Mart. Polono subiiciendum est, Chronicon eius terminari an. 1277. Quod ultra est, appendicis nomen habet, neque cum illo auctoritate exaequatur. At Vrspengensis eo, et Alberto Stadenfisi prior fuit, atque ad an. 1229. Chronicon perduxit.

§. 18. GVILELMVS Batavus Florentii IV. Hollandiae Comitis, et Mathildis Brabantinae filius, factione Principum electus, postea quam decessit Conradus, quieti Germaniae consulere voluit, et in tanta rerum perturbatione cogitavit, quemadmodum Imperii Statum emendaret, ac maius patriae damnum evitaret. At vires conatui eius non respondebant, et Germani Rheno propiores, finitimaeque civitates, foedere inuito, contra vim et repentinas mutationes se comparabant. His rebus aliquandiu a factionibus cessatum est, absente Gvilelmo et Frisios laceffente, quod bellum ei funestum et Germaniae infustum accidit, quum eo sublato, maior temporum inclinatio secuta est, et novi identidem motus extiterunt, cum variantes in eligendis Imperatoribus sententiae non sopirent certamina, sed accenderent, maioribusque dissidiis causam darent. Sero an. 1247. Vetus fragmentum historicum, de quo in conscriptione annalium Belgicorum usus est Aub. Miraeus cum quo congruit Mathaeus Parisiensis, qui ab aetate, viribus et genere ipsum commendavit. Abbas Stadenfisi Chronicon, quod in illa temporum perturbatione scribere exorsus est, in Gvilelmo finit, eumque sustinendis Imperii sumptibus imparem fuisse, indicavit. Ignoratus venit in Italiam, sed Caesarea Romae insignia non suscepit, Rex autem Aquisgrani inauguratus est, cum praesto essent septem praecipua dignitate Principes, et sua quisque Imperii munia, quemadmodum id Henrici Rasponis tempore factum est, obirent, et altera iam vice Imperatorem designarent. Flandriam, qua iure Imperii continetur, tractusque Belgii vicinos, Comitatus Namurcensem, Alostanum, lege beneficiaria ad Imperium pertinentes, Vasiam quoque et terram Scaldi finitimam,

mam, cum partibus et accessionibus, sententia Francofurti lata, vindicavit, et Ioanni Avennio addixit, et Hannones quoque, ut Valencenas dederent, coegit. Postea fere domi se continuit, et molem Hagae Batavorum, opere magnifico, ac Rege digno, extruxit, sed belli causa Frefonum fines ingressus, misere periit, et fracta glacie in paludoso quodam vado est demersus. *Ioannes de Beka in historia Episcoporum Traiectensium, quem secutus est Reinerus Snoyus in rerum Batavorum libro VII. Gvil. Heda dolo Frisiorum, qui rebus novis studuerunt, incognitum fuisse occisum tradit, in historia Ottonis III. Episc. Apud alios legimus, caesum esse a fugitivis, inter arundines latitantibus, et quis esset, ignaris, Chronicon Steronianum ad an. 1256. Quam ad sententiam accessit Io. Gerbrandus Leidensis, Cbr. Belg. lib. XXIII. c. 30. Nec de tempore eius Imperii convenit inter scriptores, quos quidem temporis intervalla distinguere oportuit, quibus vitio creatus est, et quibus post mortem Friderici II. et Conradi F. labe turbulenti negotii expurgata, electio Guilelmi convalescit, novumque robur accepit. Exinde intelligi, et multi etiam conciliari possunt, Siffridus Presbyter, Rolvincius, Trithemius, Cranzius, Arn Pontacus, Hadr. Barlandus et Iacobus Meyerus.*

§. 19. RICHARDVS, Ioannis Angliae Regis, et Elisabethae filius, Cornubiae Comes, suffragiis quorundam delectus, in Germaniam venit, et Regis titulo Aquisgrani consecratus est, sed cum multas eam in rem pecunias profudisset, iam egens, et unde sumptus faceret, intercepto, quem Urbis antistes submiserat, thesauro anceps, denuo in Angliam se contulit, nec deinceps ex insula egressus est, neque Imperii, ut par erat, administrandi significationem Germanis dedit, belloque Anglorum civili implicitus, nec prospera fortuna usus, et a seditiosorum duce Montfortio victus et captus, custodiaque etiam liberatus acquivievit, nec modo non rediit, sed ne ad reditum quidem ullo unquam indicio se comparavit, dolore et fastidio rerum suarum perturbatus. *Matthaeus Parisiensis an. 1257. et seq. Titulo quidem Regis Romanorum semper Augusti, dum in Anglia consisteret, se insignivit, quod eodem auctore constat, sed re vacuus fuit, ac iuris expertus, cum non minori numero dissentirent Principes ad quos summa Imperii munia, et eorum ratione praecipua suffragandi dignitas, atque ipsa adeo haec Electio, ad pauciores contracta, pertinebant. In his erant Trevirorum Antistes; Boiemus, in profano eligentium ordine primarius, Saxo, et Brandenburgius, quos Stero sigillatim nominavit, anno MCCLVII. Quibus obsistebant duo, Antistes Mogunrinus et Coloniensis, ac totidem profani, et magna etiam auctoritate Principes, Palatinus Rheni, et Boiorum Dux, eius Frater, pro communi familiarum suarum causa stabant, sententiamque dicebant. Anonymus Scriptor fragmenti Vrsisiani ipsum hoc animadvertit, nec rationem concordiae iniri potuisse confirmat. Vitus Duranus ne inter Caesares quidem et Reges Romanorum hunc retulit, sed cum fratre suo, et duobus filiis Henrici Regis, a populo Anglico captum ait, quippe qui non legitime electus, et ab his etiam, qui suffragatores fuerant, postea destitutus est, ob aeris inopiam, fortunamque adversam. Circumscriptionem Conradi Vbio-*

rum praesulis, et simplicem incautumque Richardi animum, haud obscure significat Parisiensis. Quare haec Angliae Comitum electio nihil derogat iuri Germanorum, quod ipsi quidem soli, et ratione Germaniae nationis, in conferendo et suscipiendo Imperio habent, quando haec non legitime et turbulenter acta sunt, Germania motibus concussa, et dissidentibus Principum eligentium suffragiis, contra se ipsam concitata, statu scilicet per turbato, et interregni calamitate afflicto, ubi nemo cuiquam in re quapiam audiens erat, et Leges Sacrae, ac perpetuae consuetudines, quae perinde ac leges valent, vitio temporum negligebantur. Neque enim necesse est dicere, Angliam olim, et regnantibus quoque Germanis, Imperio Germanico fuisse devinctam, quod certe ex Rade vico patet, Lib. I. cap. 7. de gestis Friderici I. Aliqui errore ducti, Richardum Ioannis Angliae Regis fratrem vocant, novissime auctor Nuclei hist. German. Qui tamen omnino filius, et Henrici III. germanus fuit apud Walsinghamum, et Matth. Parisiensem.

§. 20. ALPHONSVS, Ferdinandi et Beatricis Svevae filius, huius nominis in regno Castellae decimus, eodem anno adversus Richardum designatus, non meliori causa nitebatur, ob repugnantes inter se Principum sententias, quibus nihil agi legitime et consueti poterat: accedebat eo, quod a Mauris impendebat, periculum, et praeter domestica regni negotia, difficultates itinerum, Regis alioquin cunctantis profectionem in Germaniam retardabant et prorsus impediabant.

Alphonsus quidem ab initio causae suae fessus, Richardo, nisi ab incepto desisteret, comminatus est, quia rite, id est, Francofurti electus erat, quod omnino ita se habuit, sed cur prius se electum diceret, non afferebat causam, nec Richardus, neque Henricus frater eius concedebat, legatisque Alphonsi auxilium ex foedere petentibus respondebat, se fratri suo haud defuturum, ut legitur apud Matthaeum Parisiensem, qui Vulpinam nominat Alphonsi electionem, non vitio Loci, utpote auspiciis et electionibus Imperatorum sacri, sed culpa et aemulatione factionis Richardo adversae, an. 1257. Acrius est censura Philippi Brietii, qui Alphonsum, nisi in Hispania se continuisset, Cani Aesopico similem futurum fuisse censet, in Chron. Universal. h. an. Quem tamen incitarunt Galli, et factionis caput Trevirorum antistitem pollicitationibus confirmarunt, invidia et odio vicinae gentis, cuius potentiam omni ratione imminuendam putabant, teste eodem Parisiensi. Sed vix dubito, quin valitura tunc fuisset Alphonsi auctoritas, si ex Hispania discessisset, et Principes beneficiis sibi devinxisset, eaque occasione adipiscendi Imperii usus fuisset, maxime cum Richardus, turbatis posthac Angliae rebus, aeris inopia retraheretur, contra integrae essent Alphonsi vires, et foedere Aragoniae et Navarrae Regum firmatae, quae venturo non vanam potiendi spem facere videbantur. At enim vero is, seu magnitudine operis, seu belli Saraceni metu deterritus, a proposito desistit, eo praesertim tempore, quod formidolosum erat, et bellum patriae exitiosum minabatur, si quidem duo isti Reges in Germania, afflicta iam dudum et misera, armis decertaturi, maiorem

iolemque motibus materiam daturi fuissent: Io. Mariana de rebus Hisp. Lib. XIII. c. 10. Et si autem non adiit Germaniam, neque ad Imperii Germanici dignitatem pervenit, postea tamen, quam studio quorundam electus est, sumpsit titulum electi Regis Romanorum, ut ex Parisiensi constat. Nihil vero unquam hoc nomine promulgavit et sanxit: Secus ac fecisse constat Henricum et Gvilelmum, sed quales eae sint leges, et an auctoritatem iuris publici habeant, in controversia positum est, quod ut de illis, et maxime de Gvilelmo non temere quis concesserit, sic de Alphonso est iusta inficiandi ratio, sed forsitan aliqua de Richardo dubitandi, cum duae huius constitutiones a Goldasto proferantur, tom. III. Const. Imp. At Richardus neutro in Loco, neque Soloduri, nec Lothannae comitia habuit, neque alibi scita fecit, aut leges tulit, sed Basileam progressus, mox, omnibus rebus exhaustis, inde abiit, et exiguo comitatu, ad reditum se comparavit, Angliamque ingressus, Germaniae deinceps omisit curam, relictis duntaxat in speciem Vicariis, quod acta comprobant, ut ex Germanis Anglisque Scriptoribus Trithemio, auctore fragmenti, Matthaeo Parisiensi, et Vestmonasteriensi cognitum est satis ac perspicuum. Veruntamen id honori eius datum scribit Thomas Valsinghamus, ut Principes non prius quam eo mortuo, de Rudolpho I. eligendo cogitarent, in hist. Angl. 1274. Sed quo auctore id acceperit, non tradit. Quod de Alphonso mandato in Italiam misso subiicit Goldastus, illud non ius tribuit, sed voluntatem suscipiendi imperii declarat, quae sine idoneo acqvirendi titulo non sufficit, praesertim, quam caret modo obtinendi legitimo, cuius momentum in Germania, et arrha et in Germanica inauguratione quaeri debebat, ut quae electionem recte factam sequatur, et constituto imperandi iure, ac legitime ad unum delato, usum potestatis quoque et administrationem largiatur. Non ergo iniungere quicquam et mandare potuit, qui non rite, et aemulatione quadam electus, nec legitimae possessionis indicio confirmatus, ea potestate, qua Italiae civitatibus praeciperet, destituebatur. Tum vero transalpinae Civitates sub illud tempus, quo Alphonso ad se pertinere existimabat Imperium, in Richardi partes se inclinarant, quemadmodum indicavit Parisiensis, apud quem vera et explicata lectio est, quando regnum Romanorum dicitur arra (emendatior scribendi modo, arrha) ad Imperium Romanorum acqvirendum, non ara, quae vox, assentiente mihi Goldasto, aliena est, et mendose scripta. Quanam vero ratione Principes Germaniae permoti fuerint, ut designarent suffragiis Alphonsum Castellae Regem, plurimum, opinor, apud eos valuit honor materni generis, quod per Beatricem Hobenstauffiam a Germanis duxit, ob eamque ea Philippi Svevi nepos fuit, atque hac necessitudine Germanorum benevolentiam sibi conciliavit. Mariana loco paulo ante adducto. Haud aliter atque dixi de Richardo, qui omnino Germanis, speciatim Saxonibus, et nominatim Ottoni IV. augusto, propinquitate coniunctus fuit. Ceterum Alphonso non recte dicitur Rex Arragoniae, ab Auctore nuclei histor. Neque electio Alphonso congruit

CUM

cum anno 1256. apud Auctorem introductionis ad historiam regnorum, qui rationes temporum, in illo praesertim regno, minus accurate subduxit. Illud magis miror, et moleste fero, confundi saepe in hoc argumento scriptores, et perperam testes adduci, otioseque laudari, illos etiam, in quorum industria et iudicio per multum desideramus, quo loco numeroque habendus est Paulus Langius, qui rumores, quos accepit, et fabulas saepe in Chronicon retulit, neque vacuus ab hac culpa est auctor compilationis Chronologicae, qui in rerum temporumque serie longius desleat interdum et de via declinat. Quod ignoscendum est Thomae Valsinghano, scriptori externo, hist. Angl. an. 1274. Siffridus Presbyter adhuc annum reiecit Alphonsi, quam tulit, repulsam, cum electionem Rudolphi irritam fieri postulasset. Hunc sequitur Mariana lib. XIII. cap. 22. De arroganti eius et contumelioso in Dei sapientiam dicto, ab eoque repetita infortunii causa, legendus est Rodericus Sanctius part. IV. cap. 5. Sapientiae studiis nimium deditus, animum a regni cura avertit, et anno M CC XX CII. iam diu confecto electionis Rudolphinae negotio, commotis procerum animis, regno privatus est, quod commoneri oportuit, ut explicatior esset descriptio temporum, in qua haesitant plerumque novi scriptores, et causas repulsae consingunt potius, quam animadvertunt. Decessit tandem Rex aerumnosus et miser, qui cum domi non inveniret auxilium, a Mauris petere coactus, filium coniurationis principem, diris devotum reliquit anno post N. C. M CC XX CIV. Ita enim, cum coeli regiones et sidera spectaret, terrae possessionem et regnum amisit, nec modo non Imperium obtinuit, sed etiam spe ampli Ducatus Sveviae cecidit, quem percusso Neapoli Conradino, iure materno sibi vindicabat, eoque nomine, cum Imperatore designato per legatos exposulabat, qui insigniorem eius partem ad se traxisset. Mariana cap. ultimo libri tertii decimi aliquoties commemorati. Ab opinione sua dimovendus est Henricus Florentinus Laurin, qui Imperii vacantis initium putat capiendum ab Alphonsi e vita discessu, in annotationibus ad A. Miraenum multa cum diligentia scriptis. Erant vero haec durissima patriae tempora, cum funestis illustrium familiarum casibus coniuncta, quarum multae, et generis vetustate insignes, fato inclinantis reipublicae, interierunt, Egisheimensis in Alsatia, Andechsia, et vulgo Merania, apud Variscos et Boios, Beberbergica in Austria, Hohenstauffia et Burgoviensis in Svevia, et complures aliae, sed harum e ruinis creverunt Habsburgii, Boii, Badenses, Virtembergici, Principes Norici, qui Burggravii dicuntur, Hennebergici, et Orlamundae Comites, eorumque successores, praefules item Bambergensis et Herbipolitani, opportunam locupletandi patrimonii occasionem nacti sunt, de quibus legere licet Eberhardum in annalibus a Canisio editis et alios proximorum temporum scriptores et genealogias veteres a Io. Pistorio collectas, imprimis fragmenta veterum tabularum apud Fr. Guillimannum, ex literis donationum, et documentis actorum non dubiis conquisita. Praeter hunc in Boiorum rebus Viguleius Hundius, et post Brun-

nerum,

nerum, eodem in argumento Io. Adlzreiterus. Non omittenda est Ludovici Barbati progenies, quae a Conrado Salico fundata opes et auctoritatem in Thuringia et Hestia auxit, atque in Henrico Raspone, in ipso rerum prosperarum curia concidit, cuius alter principatus cum palatinatu Saxoniae, Vetinensium Saxonum familiae obtigit, alter ad duces ex Brabantia advenas est delatus. *Auctor anonymus historiae de Landgrav. Thuringiae, sed hoc prior Siffridus Presbyter, utroque vetustior annalium Thuringiae auctor, quorum brevitatis ad pauciores paginas contracta est: omnibus his recentior Paulus Langius, in quibus est dissimilitudo industriae et iudicii, quae magis apparet in novis scriptoribus, praesertim in Chronicis Bangii, Binhardi et Rivandri.*

**RVDOLPHVS I.** Alberti sapientis, et Heilvigis Kiburgicae Comitissae filius, Rudolphi senioris, et Agnetis, ab Hohenstauffiorum Comitum stirpe, nepos, Alberti divitis ac Itrae, Pfullodurensis et Bregantiae Comitissae pronepos, ab antiquissimis Vindonissae regulis oriundus, et augustorum Salicae et Hohenstauffiae gentis propingvus, Comes Habsburgius, et Alsaciae Princeps, anno 1273. septemvirum suffragiis Rex Romanorum Francofurti renunciatus, et Aquisgrani inauguratus est, ut subveniret patriae, et Imperium ab interitu servaret. Quod industria perfecit, remque publicam diuturno interregno distractam ac delibatam, ab intestinis moribus ac dissidiis ad concordiam revocavit, relictisque pace viribus, auctoritatem suam bonis artibus, et Imperii honorem patrii legibus defendit, magno Principum erga eum studio, per quos stabat, quominus factionem suam confirmaret Ottogarus, in spem novarum rerum excitatus, et electioni, omnium assensu comprobatae, obniti ausus, et obstinatus idem, ac difficilis ad restituendas Imperio provincias, quas tempore interregni occupatas Rudolpho, ut beneficiarias repetenti denegabat, magnis opibus, et foedere Henrici Boiorum ducis, quem in partes traxerat, subnixus, At Neoburgo praeter spem eius intercepto et Vienna, quae ad resistendum princeps erat, Rudolpho dedita, pacis conditiones accepit, et fidem ei astrinxit, quam fregit postea, et promissa non praestitit, idque Kunegundis, superbae conjugis impulsu factum est, quae bellum potius redintegrandum, quam Augusto obsequendum suadebat. Igitur contractis undique copiis, et collatis ad Laham signis, cum obstinate pugnasset, multis vulneribus confectus est, quo sublato, Rudolphus Austriam, Sariam, Carinthiam, Carniolam, in suas et Imperii fidem receptas, Alberto filio, huius nominis I. lege fiduciaria addixit. Ita haec controversia uno, sed acerrimo conflictu finita, et magna auctoritatis ac potentiae subsidia augustae domui comparata sunt, ut inita horum ratione, quantum suo conditori debeat, per se ipsa intelligat, et serio cogitet, ac praecipue Rudolphum miretur posteritas, eumque velut Parentem publicum, et pacificatorem communis patriae respiciat, et grata recordatione prosequatur.

XXX XXX

Vera

Vera et indubitata gentis Habsburgicae origo reperitur in monumentis Murenſibus, quorum auctoritas publica, eoque magis valida est, et omni suspitione falsi caret. Ex his deduxit Habsburgica et collegit Franc. Guillimannus, qui tumulos Murenſes vidit, legitque veteres scripturas et acta manu exarata, ac membranas, et concessionum donationumque instrumenta atque epistolae investigavit et contemplatus est, cuius exemplum praebet genealogia Habsburgica, Chronico Constantiensi addita, sed complures hunc erudendae vetustatis modum neglexerunt, aut ignorarunt, ex eoque fonte fabulosae, aut falsae narrationes emanarunt in vulgus. Documento sunt Lazius, qui divinat, quae non invenit Henninges, qui industriam magis, quam iudicium adhibet, Eitzingerus receptas opiniones et fabulas Gebudileri, hic Strabii vestigia sequitur, quem morem consuetudinemque alii servant, nec argumenta et causas sententiae ex tabulis et membranis veterum exquirunt. Nam de exteris Heutero et Roserio, nihil miror, ignorasse eos antiquissimi generis seriem, neque suam in hoc argumento approbasse diligentiam, quam augustae illius familiae dignitas exposcit. Maior opera sunt Theoderici Piespordii, qui multa ex Guillimanno depromit et colligit; haud secus, atque hic quaedam ex Ioanne Stumphio muticatur, quod animadvertit Seisfridus Abbas, sed Guillimanno ita insensus, ut fidem in eo requirat. In illis tamen, quae adduxi, hinc tabularum auctoritas tuetur, quarum exempla membranarum nihil vitii habent, et perinde apud alios extant. Hoc magis miror, ab eodem elevari auctoritatem Monachi Murenſis, qui extra controversiam est antiquissimus omnium, quotquot res Habsburgicas attigerunt. Cuius fides eo minus in dubium vocanda est, quo prior fuit Rudolphi genitoribus, quorum res gestas, et instrumenta donationum vidit, ex iisque desumpsit, quae literis prodidit, et nobis reliquit. Congruunt ea, quae ex tabulis excerptis Stumphius, multa doctrina et integra fide scriptor. Undenam vero ultima Habsburgiorum origo repetenda sit, utrum Aniciana Romanorum familia, an ab antiqua Francorum, an Burgundionum stirpe, et sigillatim, an repetitis usque ab Ottoberto initiis, a Guntramno Vindonissae, et Altenburgi Comite, an a Conditore alio, id vero non ex monumentis Murenſibus, sed ex antiquioribus eventorum documentis et testimoniis definiendum est, quod brevitate causa praetermitto, et in Alberto Sapiente, Rudolpho Seniore, eodemque nomen taciturni adepti, et in Alberto divite nunc acquiesco, quorum ipse Augustus meminisse in veteri, quod integrum superat, instrumento, et patrem, avum, pro avum, suo quemque nomine appellat: De avavo Verno III. de avavo Verno II. de Ottone tritavo, deque Verno I. et maioribus silet, apud Guillimannum Habsburgicae l. V. c. 2. p. 235. edit. Mediol. et legitur apud Stumphium, qui in monasterio Vettingensi, quod Maris Stella dicitur, reperit, eiusque partem edidit, Chron. Helvet. l. VII. c. 122. Ex eo reddit, qui pro Aniciana gente propugnat, Seisfridus Monachus, posthunc eiusdem originis defensor Lequillus p. 119. Praeterco Vricum Kriegium, et Albertum Argentinensem, qui primum hic locum obtinent, certe Seisfrido et Lequillaeo dissidentis sententiae auctores extiterunt, sed uterque monumento Murenſi recentior, aliter Rudolphi Augusti

Augusti temporibus congruit, sed nondum editus, alter Caroli IP. aequalis et ab *Erstasio* divulgatus. *Kriegium*, ut *Lambecius* observat, secutus est *Henricus Gundelfingius*, sed multa idem aliunde sumpsit, et *Matthaeo*, quoniam ipse nominat aetate propiori, fabuloso autem scriptori deditus, fabularum sordibus historiam opplenit. Monumenta, quae *Bucelinus* profert, *Gvillimanni* sententiae non adversantur, et ipsa tamen *Murensibus* auctoritate cedunt, neque a *Gvillimanno* tabularum subsidio instructo ad originem seriemque *Habsburgicae* gentis comprobendam afferuntur. Alia in animo *Chiffletii* opinio insidet, qui prima augustae gentis vestigia apud *Gothos Burgundiones* se reperisse affirmat, sed domestica originum documenta hic requirenda sunt, quod ei non debet esse fraudi, qui reliqua ingenue perscripsit. Nam argumenta a moris similitudine, et coniecturae aliogvinae eruditae non spernendae sunt, sed in huius originis controversia minime sufficiunt, quando alia suppetunt, quibus multo tutius innitatur. Novissime *Godefr. Henschenius* ex *vila S. DEI coli Lutrensis* cum *S. Odiliae* actis collata affirmat, maiores *Habsburgiorum* in *Alsatia*, vicinisque locis quaearendos esse. Illud vero praecipuum et magis necessarium est, ut augustam regiamque domus nobilitatem, plurimis et locupletissimis testimoniis locupletata, ab *Ottogari*, *Boiemorum Regis*, aemuli quondam eius atque hostis infectatione defendam. Nam princeps natus est, et *Landgravi* nomine ac titulo, in tabulis monumentisque publicis, *Caesaris* et domesticis, princeps cognominatur. Non ergo obscura generis origo, neque tenuis census vere ei obicitur, qui ante collatam Imperii dignitatem, conficere exercitum, et alere suo sumptu patuit: Id enim regium est, aut regis potentiae proximum, eo praesertim tempore, quo impeditae principum rationes erant, Praeter haec belli subsidia, multas habuit clientelas, et magno rerum usu et auctoritate valuit: Ingenio, non aspero, nec crudeli, hoc gravior in vulgus, et minore apud Principes invidia, qui in omnibus negotiis aequum, sed in periculis cautum, in consiliis promptum, atque occasione intentum videbant. Contra *Boiemus* ambitione tumidus, superbia principes offendit, et sibi impares contempsit, de *Rodolpho* etiam abiecte locutus est, et exilem *Comitem* proterve appellans, exprobravit electionem proceribus, qui ad tale negotium aggressuri, potentiores circumspicere debuissent, inter quos ipse quidem opibus et viribus domi praestabat, sed Regem nihilominus externum, contra quem statuebat *Senatus principum*, eligi cupiebat, et clientelas per vim occupatas pertinaciter retinebat, ac belli, necessitudinisque et affinitatis nomen ambitioni suae, atque iniustis conatibus, praetendebat, quod non modo non erat e republica, sed etiam Augusti dignitatem petebat, et comitorum imprimis auctoritatem, pessimo Regis beneficiarii exemplo, convellebat. Vera actorum documenta in veteri *Austriae* monasterio, quod *S. Crucis* dicitur, asservata sunt, in quibus verba leguntur superbiae et contemptionis plena, quae *Ottogarum* invidiae et malignitatis convincunt. Qua in re aequitatem animi, et modestiam praecipue

*cipue testatam fecit Rudolphus, eamque comprobavit in piarum donationum formulis, quin et mediocritatem suam agnovit ac fassus est, non ad obtinendam primae nobilitatis gloriam, quam nulla temporum invidia Habsburgius eripere potuit, sed ut ambitus suspicionem vitaret; qui illo quidem principalis familiae statu, cum Regibus se non exaequaret, tantisper dum in altissimo potentiae gradu collocatus, fundaret Imperium, et Imperatoriam conderet familiam, augustamque domum, regia maiorem, constitueret feliciter et firmaret. V. membranac, quas et Io. Cuspinianus legit, apud Seisfridam Abbatem, quibus continentur acta legationis ad Ottogarus, quae rerum momenta aperiant, quorum ope nitetur Ottogarus, et argumenta pro iure suo afferbat. Occupatio quidem ambitioni Regis serviebat, sed eam causae iustitia destituebat, et malae fidei possessorem arguebat. Concessio Richardi eo minus hic locum habet, quod turbulento Imperii tempore facta est, cuius auctor legitimo nomine, et idoneo etiam titulo carebat. Defensio provinciarum adversus Ungaros et Scythas iuste ab eo suscepta, quoniam DEI et Imperatoris gratia, Rex erat, et Imperio tenebatur. Praeterea in eo vertebat Regis utilitas, vel maxime finium causa, atque ob coniunctas mutuae securitatis rationes. Dotalitate ius, si quod Rex habuit, repudiata uxore Margaretha, amisit, pactorumque fidem, et ipsum fas legationis et gentium, spreto Rudolphi edicto, et neglecta Imperii maiestate, violavit. Cetera per se manifesta sunt et facile intelliguntur ex membranis Monasterii S. Crucis, et ex actis illorum temporum, atque ex aliis scriptoribus, ex auctore historiae Australis, ex Steronis et Eberhardi Altabensis annalibus, ex Aenea Sylvio in hist. Bohem. Tritbenio, Io. Cuspiniano, Ger. de Roo, Hier. Megifero. Venditio hoc loco aliena est, quam novi quidem et iciam scriptores tradunt. De epistolis, quae Rudolpho tribuuntur, existimavit Seisfridus, ab Augusto esse scriptas, sed nondum satis confirmavit, maxime ob quaedam verba, quae in illis reperiuntur, quippe eis temporibus non consentanea, quae conditio Rudolphi certe non admittebat. Falsa enim opinio est imperitorum hominum, qui monumenta augustae huius familiae ignorant, et vulgares atque obscuros scriptores secuti, fortunae humilitatem, ductis velut a parvo Comitatu initiis, describunt. Nam Principes erant, quae Landgraviis Alfatiae, et principali dignitate utebantur, quae Comites Habsburgii: titulus, formula, sigillum Principes antiquae gentis ostendunt, donationes, religionis opera, beneficia, et magna in rem Christianam merita, institutis passim et locupletatis sacri Ordinis hominum collegiis, atque in fidem ac tutelam suam receptis, aut praefectis suo et Imperii nomine attributis, ut ex tabulis, literis et chartis cognovi, quibus publica fides est habenda. Quorsum spectant monumenta Murenfis, et horum auctoritatem secutus Goillimannus Habsburgiac. lib. VI. Honores summi, necessitudines et affinitates cum Augustis, decora familiae sine labe servata, bella iudem et foedera, expeditiones trans Alpes, et trans mare susceptae,*

sceptae, praemia militiae equestris more et ritu solenni collata, principali  
 fortunae cumulum attulerunt, quae ne Imperatores quidem et Reges asper-  
 nati sunt, ex iisque Alphonfus dignum iudicavit Rudolphum iuvenem, quem  
 balteo virtutis causa donaret. *Gaufridus in appendice ad historiam Roderici To-  
 letani.* Sunt tamen, praesertim externi homines, qui sive inani et prava persuasione  
 decepti, sive malevolentia suffusi, secus arbitrantur de origine augustae gentis, inter quos  
 acerbitate animi certavit Blondellus, improbitate et impudentia se armavit quidam per-  
 sonatus scriptor, Hippolytus à Lapide dictus, uterque castigatus dudum, et falsae nar-  
 rationis, mendacique convictus. Republicam legibus composuit, et confecto  
 cum Rege Boiemorum bello, factiones et dissidia procerum sustulit, emen-  
 datoque Imperii statu, Boiemiam Venceslao Ottogari filio sub clientela Im-  
 perii possidendam reliquit, Austriam, coniunctasque ei regiones Alberto,  
 natu maiori filio, non excluso tamen Rudolpho minore, cui Sveviam post  
 successore vacuam assensu Principum contulit, et bonis artibus, rectisque  
 consiliis, atque arctissima necessitudine et affinitate praecipuas Germaniae  
 familias opportune sibi coniunxit, magnaque virium accessione confirmatus,  
 auctoritatem et potentiam secundo rerum successu auxit. Nihil ergo pro-  
 digi instar dissipavit, et temere dilargitus est: non cis Alpes, ubi Austrasiae  
 regiones plene integreque Imperio parebant, legibusque patriae regebantur.  
 Nec dum Arelatense regnum Imperio subtractum est, quod ne Galli  
 quidem ea tempestate Germaniae coniunctum esse, inficiati sunt, et nihil in  
 eo, nisi vicario nomine, aut precario etiam post Rudolphi tempora, obtinue-  
 runt. Delphinates adhuc devincti, Allobroges in fide constantes, Burgun-  
 diae et Ferretarum Comites in ordinem redacti, in verba Regis iurarunt.  
 Ipse enim movit in Sequanos, et insolentius se efferentes compescuit. Id quod  
 constat ex monumentis illorum temporum et Chronicis Eberhardi, Argentinen-  
 sis et compluribus aliis, quibus iungendus est Tritemius in *Chr. Hirsaug.* anno 1281. Addendus  
 huic Pontus Heuterus de *Habsburg. orig. cap. IV. p. 12.* Italiam non adiit, sed missis  
 eo legatis, et constitutis etiam, qui pro se curarent, Vicariis, officii sui admo-  
 nuit, et nihil de iure suo detraxit, confirmatisque superiorum donatio-  
 num formulis, nequicquam delibavit de summa potestate, qua ad Flami-  
 niae et Piceni urbes spectat. Tum vero privilegia et immunitates Floren-  
 tiae, Lucae et Genuae impertitus est, salvo iure suo, et certis finibus cir-  
 cumscripta. Nec modo non partes Imperii veteris, et membra regni Insu-  
 brici abalienavit, sed etiam, ne quid eiusmodi fieret, missis illuc nunciis li-  
 terisque cavet, cum per regni Germanici negotia ei non esset integrum,  
 trans Alpes proficisci. Quamobrem Imperatorio regioque auspicio  
 missi sunt in Romaniolam et Maritimam Henricus Furitenbergius, et  
 alius in Etruriam Vicarius, qui Florentinos et Lucenses ad officium revo-  
 cavit.

cavit. *Eo legenda sunt diplomata Rudolphi, inter haec memorabile rescriptum ad Marchiones, Comites, Nobiles, Capitaneos, et Civitatum potestates missum, in quo Romaniola Imperii pomoerium nominatur, apud Lambecium de bibl. Vindob. lib. III. app. p. 327. Chron. Hirsaugiense ex bibliotheca Sangallensi editum, quod Freberiano locupletius est an. 1281. Ac de Vicaria potestate per Italiam constituta, etiam posteriora Henrici VII. et Ludovici Boicari monumenta nos confirmant. Uterque instauravit auctoritatem Caesaream, et Rudolphi exemplo continuavit vicariam administrationem, non tantum in regno Italiae, verum in ipsis quoque Imperii terris, sigillatim in Romania, in Piceno, in Etruria, Insubria, et Civitatibus passim. Quae in re Antoninus Florentinus non est ingenuus, nec magis est sincerus, qui eum sequitur, Sigonius, in huiusce narrationis capite, a Gibellinis, qui Imperatorum honori studebant, alienior, et partium studio mutatus. Refellunt hos acta consequentium temporum, et argumento sunt privilegiorum formulae, in quibus de iure Caesareo et regio nihil remisit, reliqua autem confirmavit, sic tamen, ut non plus daret, quam ante eum proceres Italiae et Vrbes, iure per concessionem, aut consuetudinem quaesito, habuerunt. Neque res illorum temporum, neque Imperatorum vicarios omiserunt Ioannes Villanus, et Bernardinus Corius, quorum testimoniis saepe usus est M. Antonius Marcellus, Senator Venetus, in libro, quem scripsit de iure secul. Rom. Pont. Sed alter lapsus est in origine gentis Habsburgiae, alter in capitibus, non usquequaque satisfecit: utrumque diligentius legit, et secure secutus est Marcellus, ut inter alia documento est cap. XVI. Sed Albertini Muscati non meminit, quia paucissimis antea cognitus, et caligine temporum ac vetustate obrutus, nondum in manibus oculisque eius versabatur. Nemi priorum diligentia, sed charitate Caesarei nominis Petrarchae cedit, multa alioquin tradit, quae alii praeterierunt. Illud haud dubie ex eo liquet, Imperatores post Rudolphum I. iura Imperii per Italiam fortiter tutatos, atque in eo laudatissimum Rudolphi exemplum constanter imitatos. Quod adeo verum est, ut ne ipsa quidem Vrbs Veneta auctoritatem Rudolphi neglexerit, aut confirmationem eius praetermiserit, quemadmodum ostendit privilegium, quod monetam in Italia usurpandam respicit, a Francisco Sansovino conservatum. De regno Apuliae, aestimabat periculum, et contra subitam fortunae mutationem consiliis se muniebat, neque in Etruria Vicariam Caroli Andegavensis potestatem agnoscebat, et iure Italici regni, additaque armorum comminatione, repetebat, ac suo ipse auspicio urbium et provinciarum rectores praefidesque constituebat, ut paulo ante comprobavi. Profectio in Syriam idonea ratione, et maturo consilio ab eo intermissa est, cum variis eventorum argumentis intelligeret, eam ad suam patriaeque perniciem spectare, et robora militum, viresque Germaniae temere confici atque consumi, reduces autem nihil praeter morbos et labem militiae referre ad suos. Haud tamen*

tamen segius, quam par erat, necessaria patriae subsidia comparavit, et confutatis Imperii rebus, A. M CC LXXXIII. Kalendis Iuniis, successione Austriae, confectis Reinfelsae tabulis, utriusque filio concessit simul et confirmavit, ea vero lege, ut regimen Austriae inferioris esset ac maneret penes natu maiorem adiectis etiam conditionibus, quae in diplomate leguntur. *Ex eo corrigendi sunt multi scriptores, maxime externi, interdum quoque domestici, et ipse Albertus Argentimensis, a Io. Cuspiniano editus, hoc in loco; uti Rudolphum natu maiorem nominat, mendosus.* Suo quoque auspicio nobilitavit Saxoniam, huius regionis finibus descriptam, et in novo Septemviratu confirmatam, finitimo Brenae Comitatu, ac dignitate Palatina auxit, ut vacante regno, alterum Germaniae Interregem habeat, et publica Vicarii auctoritate perfungatur. Neque eo secius beneficium posuit apud Henricum Illustrem, ad quem Thuringia, et Alstetensis palatii praefectura pervenit. *De quibus confessionibus, ducto in Friderico II. initio, tabulae manuscriptae in curia arcis nostrae asservantur.*

## LXXXIII. MEMORATA HISTORICA VAR.



Constantinus M. nullo Aegyptii hominis consilio usus est, cum falli animae consuleret, et Christi sacra profiteretur. *Contra Zosimum hist. lib. II. cap. 29.*

§. II. Neque discessit ab hac sententia, nec deflexit unquam, neque transiit ad divinae veritatis hostes, neque inclinavit in partes Arianorum. *Contra auctorem Chronici, cui praescriptum est Eusebii nomen, ad A. C. 340.*

§. III. Fides ceteroquin Eusebii integra est, et fama auctoritasque insignis, quam scribendi diligentia sibi comparavit, cuius testimonio standum est, cum primis in capite de uno, nec repetito Constantini M. baptismo. *Contra Emmanuelem Scheelstratum.*

§. IV. Athanasius fiducia causae, et pietate sua fretus, capessendi muneris causa Alexandriam rediit, non ambitione, neque audacia excitatus. *Contra Iulianum in epistola atque decreto ad Alexandrinos.* Nihil aequius de Athanasio sensit et scripsit Ammianus Marcellinus, quum ultra professionem alium se extulisse postulatur, *lib. XV.*

§. V. Chrysostomum et Epiphanium non tam aemulatio alienae laudis, quam versutia Theophili inter se commisit. *Quod qui negant, aperte obloquuntur*